

imperium poterat nominari.

Vehementer autem amor multitudinis commouet ipsa fama & opinione liberalitatis. beneficentiae iustitiae. fidei: omniumque earum uirtutum que pertinent ad mansuetudinem morum ac facilitatem.

Et est illud ipsum quod decorum honestumque diximus: quia perse nobis placet: animosque omnium natura & specie sua commouet. maximeque quasi perlucet ex his quas commemoravi uirtutibus. idcirco autem illos in quibus eas uirtutes esse remur: a natura ipsa diligere cogimur.

Iustis autem & fidis hominibus id est bonis: ita fides habetur: ut nulla sit in his fraudis iniuriaeque suspitio.

Iusticia sine prudentia multum poterit: sine iusticia nihil ualet prudentia.

Itaque eos uiros suspiciunt: maximisque efferunt laudibus: in quibus existimant se excellentes quosdam: & singulares uirtutes perspicere

Despiciunt autem eos & contemnunt: in quibus nihil uirtutis nihil animi nihil neruorum putant.

Non est omnes eos contemnunt: de quibus male existimant. Nam quos improbos: maledicos: fraudulentos putant: & ad faciendum iniuriam